

Non aliter speraveramus, quam quod vestro alloquio, vestro consortio per proximè præteritum nautæ adventum fructi fuissemus, tantum autem abest, ut id obtinerimus, ut contrarium vos meditari audiamus. Itane Monasterium transibitis nobis præteritis? quin, si eundem ~~vobis~~ ^{vobis} eo necessario sit, in transitu prius nos invisite et nobiscum per aliquot dies manete, ut reliquam itineris molestiam facilius superetis. In unâ fideiâ duos parietes dealbabit. Ad hoc via, quæ vos hac Monasterium ~~duo~~ ducet, non multum à recta recedet. Dandum utiq; amicis aliquid, ne alijs videamini plane nos spernere. Quin hinc Sæca rectâ Darentriam contendite; vel si malitis curru, sylvas nostras transite, et habebitis nos aliquo usq; itineris comites, utraq; via non incommoda; verum hæc tanto illâ gratior, quanto magis sylvæ quàm mare, quod per se stomachum movet, animum oblectant. Imo si vos hæc permovere nequeant, moveat vos affectus ille antiquus in nos vester, ut solatio et consilio vestro miseros nos sublevetis. Videte, quomodo me dedolaverint Studiosi, quomodo destituar à Collegis. Fenestra sæpius excussa; antepagmenta lacerata; quadræ, quibus vestibulum non arenâ, sed calce, sed signino opere stratum erat, vi effractæ, effossæ, et passim in aquam projectæ; Exedarum muri subversi; imbrices, quibus antepagmenta tecta, quasi admotis scalis, ablati et in fossas hinc inde dispersi; platearum filices eruti, et subversi; imo ante decem dies decorticata fere per totam circumferentiam arbor tilia, quæ præ foribus plantata, et tantum non enecata; detecti horum facinorum auctores suos patronos inter collegas inveniant: nuper in publico loco meus cognatus Lambertus Kochovon ~~et~~ comitatus quatuor Frisæ nobilibus, gladio, pinguo, pileo, tantum non vesle ^{a Geldris} excutus est, bonag ejus in minutissimas partes confissa et contracta; ad hæc tam dira facinora silent leges; ~~imò~~ ^{imò} justitia non administratur, imo denegatur; ~~quæ~~ non erubescunt mortales delegare e judicio eorum nonnullos, qui in publico diversorio per totam noctem præcati, cum Geldris transigant. O mores, o tempora. Quæsi, si nos amatis, in hisce angustijs constitutos, si non consilio et auxilio saltem solatio vestro, ut dixi, subleverte. mira videbitis, mira audietis, etiam de D. Scotano, quæ iterum oblata vocatio ad professionem Theologicam sub stipendio quingentorum florenorum eâ conditione, ut bis hebdomatim legat. Sed non audeo homo eam suscipere professoribus et collega ejus omnia in contrarium molientibus. Quibus plura non addo, ut et hinc occasionem capiat, conferendi latius de his coram. Interca vale, ^{v. c.} et cum lectissima tua tuisq; salve ex me, mea, meiq; Dabam 15 July 1654. Tuus B. Fullenius.

Reverendo ac celeberrimo viro
D. Johanni Cocceio S. S.
Theologiae Doctori et Professore
dignissimo et vigilantissimo in
Iustitiae Academia, quae est
Leida.